



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VI. Quædam solutiones præcedentis argumenti refelluntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

C A P V T VI.

Quaedam solutiones precedentis argumenti refelluntur.

57 **V**Idimus, quàm parum urgeant instantiæ, quibus doctrinam nostri argumenti recentiores labefactare conati sunt; proximum est, ut videamus, quid ei absolute respondeant. Prima solutio aliquorum est, fieri ne diuinitus posse, ut actus contritionis sit simul amor, & odium respectu diuersorum obiectorum, Dei videlicet, & peccati, haud aliter, ac repugnat, eandem naturam esse simul humanam, & equinam.

58 Verùm eundem realiter actum posse esse simul amorem, & odium, haud magis repugnat, quàm eundem voluntatis actum respectu diuersorum obiectorum posse esse simul efficacem, & inefficacem, intentionem, & electionem, desiderium, & gaudium, aut non magis, quàm eundem actum intellectus esse simul assensum, & dissensum respectu diuersorum obiectorum, in hunc modum: *Petrus currit, & Paulus currit*; aut quàm eundem simplicem actum esse simul apprehensionem, & iudicium, intuitu diuersorum, hunc in modum: *Petrus est filius Ioannis*; aut demum, quàm eundem actum esse simul clarum, & obscure, certum, & incertum contemplatione diuersorum, ut, si quis eidem veritati propter morium evidens, & morium fidei diuinæ, vel propter morium fidei diuinæ, & simul humanæ per eundem realiter actum assentiat: At has rationes, quas posterius recensuimus, in eundem actum coalescere non repugnat: ergo nec priorem illam rationem amoris, & odij in eodem actu reperiri implicat. Et quidem nostrum argumentum in posterioribus exemplis pari potest energia proponi.

59 Rursus actum contritionis, quantumlibet eundem, realiter tamen de facto etiam esse amorem, & odium tenent ex communi sententia Capreolus in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 1. & P. Vasquez 1. secundæ disp. 33. num. 24. & non pauci apud Aegidium Cenninich. disputat. 2. de poenitentia dubit. 6. Præterea si animalitas, non obstante eius dissimilitudine respectu rationalitatis, cum ea tamen realiter identificatur, quid causæ est, cur amor, & odium non identificentur realiter in eodem actu, quantumcumque dissimilem habeant tendendi modum? Quod autem de homine, & equo adducitur, momentosum non est: equus enim suapte natura est irrationalis, homo verò rationalis, quid mirum ergò, si, ne diuinitus in idem coalescere possint?

60 Secunda aliorum solutio est, sufficere distinctionem rationis, respectumve ad diuersa connotata inter amorem, & odium contritionis, ut hæc amet aliquod obiectum, quod non prosequatur odio, & conuersim. Verùm hæc solutio à nobis est impugnata superius: Aut enim amor, & odium contritionis à parte rei fortiuntur diuersa connotata, ita ut amor aliquod connotatum respiciat, quod odium minime intuetur: & ita prædicata contradictoria suscipiunt, prout ad distinctionem virtutalem oportet: aut, quod aduersarij male videntur, tantum respiciunt diuersa connotata, prout à nobis conspiciuntur, diuersis nominibus significantur; & ita à parte rei, & ante nostrum concipiendi modum non magis distinguuntur amor, & odium contritionis, quàm cognitio, & representatio: unde à parte rei idem

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

erit esse amatum, ac esse odio habitum ab actu contritionis, & nihil ab eo amore, quod non odio, & odio, quod non amore habebitur: quo pacto est idem cognosci, & representari, & quidquid cognoscitur, eo ipso representatur & è contrario.

Tertio respondent alij, peccatum amari, non solum esse amorem ad illud terminari, sed insuper illud proponi voluntati, ut bonum, Deumque odio haberi non tantum esse odium ad ipsum terminari, sed etiam eum cognosci, ut malum, sicuti docet B. Thomas prima secundæ quæstione 6. artic. 4. cum ergo pro priori naturæ ad actum contritionis, eiusque alterutram formalitatem simul terminatam ad Deum, & ad peccatum, hoc veluti omnino malum, ille verò tanquam omnino bonus cognoscatur, ac voluntati proponatur, sanè non poterit Deus odio haberi, aut peccatum amari, ut amor ad peccatum, & odium ad Deum referantur, ac terminentur. Hæc autem ratio cognitioni essentialiter aliquid representandi nequit accommodari, ut eam expendenti constabit: Proinde nihil cognosci, & non representari, aut representari, & non cognosci poterit.

Hæc solutio summo opere mihi displicet. Primum enim aliud est, an repugnet Deum odio haberi, peccatumque amari per actum contritionis, aliud verò, an quod ad id repugnans est, atque absurdum, minime sequatur, tamen actus contritionis nullis formalitatibus virtualiter distinctis constet. Illius prioris, de quo nemo ambigit, rationem qualem qualem afferunt, & quandam B. Thomæ autoritatem in re omnino confessa disperdunt. Huius verò posterioris, quod caput, & summa est totius nostræ controuersie, nullam, vel apparentem rationem afferunt. Quod aiunt Deum cognosci ut bonum, & peccatum ut nullum, hoc solum conuincit, non posse formalitatem amoris ad peccatum, aut formalitatem odij ad Deum terminari, seu referri: ceterum si non obstante malitia, quæ in peccato, & bonitate, quæ in Deo apparet, ac proponitur, amor tamen ad peccatum, & odium ad Deum terminatur, non conspicio, nec conspiciere datur, cur, aut peccatum non ametur, aut Deus odio non habeatur. Principio enim, quorsum amor ad peccatum suapte natura terminatur, si illud amare nequit, quandoquidem naturaliter fieri nequit, ut albedo in pariete aliquo recipiatur, quem tamen nullatenus albare potest: Deinde sicut cognosci, agi, aut vniui, etiam iuxta aduersarios, aliud non est, quàm cognitionem, actionem, aut unionem terminare; idemque in reliquis formis respectibus contingit; ita sanè amari aliud esse non poterit, quàm amorem terminare, quod cum habeat peccatum respectu contritionis, ab ea non amari non poterit. Vltèrius, si per impossibile amaret quis rem aliquam bonam, sed veluti omnino malam sibi propositam, non aliter id præstaret, nisi si amorem ad eiusmodi rem terminatum haberet: modò ergo si amor contritionis ad peccatum terminatur, quantumlibet eius bonitas physica lateat, & sola malitia moralis proponatur, nihilominus tamen illud amabit. Tandem, propterea requiritur cognitio præuia bonitatis obiecto inexistentis, ut possit dici amor ad eiusmodi bonitatem terminatus: si ergo contritionis amor terminatur ad bonitatem physicam peccato inexistentem, quin eiusmodi bonitas, sed potius sola malitia voluntati proponatur, non erit profectò, cur bonitas peccati non ametur, sicut eius malitia habetur odio.

Vltèrius secundò præfatam solutionem impugno. Quando enim eius authores aiunt peccatum amari,

D 2 &

61

62

63

& Deum odio haberi esse hunc, vt malum, & illud vt bonum cognosci, ac proponi, aut volunt effectum formalem amari, vel odio haberi præter actum amoris, odiiuè, eiusue obiectum in super includere intrinsecè cognitionem talis obiecti, qua veluti bonum, aut malum cognoscatur? aut malunt cognitionem ad eiusmodi effectum formalem essentialiter tantum prærequiri? Si primum de eorum mente sit, rem quidem à paucissimis receptam affirmant vt doctrinam, plerisque hac tempestate communem tueantur; rem itidem satis obscuram, & controuerfam afferunt, vt assertionem ipsorum iudicio manifestam defendant; atque, quod caput est falsam fortassis doctrinam assumunt: cur enim amari aliquid amplius, quàm amorem, & obiectum intrinsecè includat? quando denominationes albi, calidi, humidi, aliæque, quæ proficiuntur à formis valde imperfectis, præter has tamen, & earum subiecta, nihil amplius intrinsecè inuolunt, aut postulant: aut cur sicuti iudicium, vt iudicantem denominet intellectum, vel obiectum iudicatum, apprehensionem præuiam veluti concausam vtriusque denominationis non requirit, ita etiam amor effectum amantis, & amati impertire non possit, quin intrinsecò cognitionis concursu indigeat? Sed hæc in alium locum percello. Sin autem secundum contendunt aduersarij, sanè vim argumenti non declinant: etenim iuxta ipsos effectus formalis amati nihil aliud erit intrinsecè, & essentialiter, quàm bonitas obiecti, & amor ad ipsum terminatus, sed peccato inest bonitas, physica scilicet, & delectabilis, amor verò contritionis ad eam terminatur; resultabit ergò denominatio amati ex his duobus quantumlibet peccatum veluti bonum non cognoscatur.

64 Præterea tertio solutionem illam euerto: quoniam vt ametur peccatum satis, superque est, vt sit bonum physicum, & delectabile, estò honestum non sit, vtque Deus odio habeatur, sufficit, vt sit malus respectiue, & homini infensus, eiusque delicta puniat, ceterà infinite bonus; sed stante actu contritionis fieri potest, & solet, vt peccatum veluti bonum physicum, & delectabile, Deus verò tanquam malus respectiue, inensiusque homini propter peccata, saltem venialia proponatur, ac representetur: tunc ergo necessum erit, Deum odio haberi, & peccatum amari per actum contritionis: ad hoc enim cognitio sufficiens non deest, aliunde verò iuxta aduersarios amor contritionis ad peccatum, & eius odium ad peccatum terminatur.

65 Postremum irritum, vanissimoque consilio recentiores hi ab actu contritionis ad cognitionem præuiam confugiunt, quasi verò hac latebra tuti sint, & non potius in ipsa cognitione totam vim nostri argumenti experiri cogantur: quare cum ab vna cognitione ad aliam appellare nequeant, solutionem datam insufficientem esse, necessum est fateantur. Argumentor ergo sic: cognitio præuia realiter indiuisibilis, & eadem esse potest respectu Dei, & peccati, & quatenus huius malitiam reprobatur, & illius bonitatem approbat: aut ergo prout est approbatio diuinæ bonitatis distinguitur virtualiter à semetipsa, prout est reprobatio malitiæ peccati; & ita intentum adepti sumus: aut non distinguitur virtualiter, & ita sicut ea cognitio est approbatio diuinæ bonitatis, ad eamque terminatur, erit etiam approbatio malitiæ peccati, ad illamque terminabitur: & quemadmodum huius est reprobatio, erit etiam reprobatio diuinæ bonitatis, ad eamque terminabitur, ac proinde vtramque simul approbatam, & reprobata denominabit, sicuti de cognitione, & representatione superius disseruimus. Hoc idem

argumentum proponi potest in eodem realiter actu, qui simul affirmatio, & negatio respectu diuersorum sit: Finge enim, me per eandem propositionem complexam interius dicere: *Petrus est homo, & non est lapis*: nisi enim huiusmodi propositio virtualiter multiplex sit, vt hominem, hic lapidem de Petro affirmabit, vtque lapidem, sic etiam hominem de eo negabit.

66 Dissimulare non possum aliam solutionem, qua vtuntur hi, quorum proximè superius meminimus, tametsi longior sim, quàm res postulat. Aiunt ergo licet à nobis seorsim probetur, actum contritionis suscipere prædicata contradictoria, ac seorsim etiam probetur, eum esse eundem realiter, ceterum nec identitatem ex suppositione contradictionis prædicatorum, nec hanc ex suppositione identitatis realis à nobis probari, aut posse. Quocirca proposito hoc syllogismo: *actus contritionis quatenus amor, & odium habet prædicata contradictoria, sed actus contritionis est idem realiter: aliquid ergo realiter idem habet prædicata contradictoria*, sicuti ad distinctionem virtualem oportet: Proposito inquam hoc syllogismo, respondent, admissa maiori, & distincta minori hunc in modum: actus contritionis est idem realiter, si suscipit prædicata contradictoria, nego minorem, si ea non suscipit, concedo minorem: negantque consequentiam, eamque haud adeo probabilem esse putant, tametsi præmissæ secundum se, & seorsim sumptæ probabiles sint. Quod etiam in aliis materiis euenire censent, veluti si quis ita arguat: *Nulla anima suis potentiis identificata existit, sed neque existit anima à suis potentiis distincta: ergo nulla anima existit*, huius syllogismi ambæ præmissæ secundum se sumptæ probabiles sunt, & tamen consequens ex illis factum omnino improbabile.

67 Mira solutio, quæ in vno argumento cuncta quantumlibet manifesta dissoluit, quæque in vno modo quotquot sunt in tota philosophia enodat: hac qui vtatur, apertas demonstrationes ludificabit, hac nullo acumine penetrabilis, & Eccebatanorum regia munitior erit. Fac enim, quempiam probare velle, aliquod animal esse rationale, hunc in modum: *omnis homo est rationalis, omnis homo est animal: ergo aliquod animal est rationale* profectò iuxta normam soluendi ab aduersariis traditam promptum erit huius syllogismi in Darapti euidenter concludentis vim eludere, & respondere, distincta minori, sed omnis homo est animal, si sit rationalis, nego minorem, si non sit rationalis, concedo minorem, ac negata statim consequentia, quia tametsi probabile, imò euidenter sit, hominem esse rationalem; itemque per se non minus probabile sit omnem hominem esse animal, fingi tamen potest facultate ab aduersariis habita non esse adeo probabile, hominem esse animal ex suppositione, quod sit rationale, siue quod perinde est, aliquod animal esse rationale, sicuti in consequentia inferitur. Quapropter quemadmodum in priori illo syllogismo Daraptico, ex eo, quod omnis homo sit rationalis, omnisque etiam sit animal, optimè colligitur animal, & rationale in vno coherere, & aliquod animal esse rationale ita similiter in eodem modo Darapti, ex eo, quod omnis actus contritionis suscipiat prædicata contradictoria, ac etiam omnis actus contritionis sit idem realiter, rectissime colligitur, aliquid, quod sit idem realiter, suscipere prædicata contradictoria, sicuti ad distinctionem virtualem oportet.

68 Quod autem ad doctrinam, ab aduersariis vltimo loco traditam attinet, ea quidem ad res morales accommodata, & utilis esse potest. Cum enim in materiis moralibus,

moralibus, & ad conscientiam spectantibus probabilitas metienda sit potissimum ex auctoritate extrinseca doctorum, fierique possit, ut ex duabus præmissis, alterutra earum seorsim sumpta plures pro se auctores habeat, ambæ verò simul sumptæ paucos, aut nullos, mirum non est, quod ambæ simul sumptæ non sint probabiles, veluti, si seorsim sumantur, ac proinde consequens ex earum concursu improbable sit. Cæterum in rebus philosophicis, & quæ ad scholasticum rigorem exiguntur, quotiescumque præmissæ aliquæ in forma, & figura sunt, & quævis earum probabilis est, non possunt ambæ non esse probabiles simul sumptæ, adeoque & consequens ex eis deductum nequibit non esse probabile: Hic enim probabilitas non ex auctoritate extrinseca doctorum præcipue metienda est, sed ex ipsis præmissarum naturis: Quod si una præmissa est probabilis secundum se sumpta, & in eodem instanti, altera etiam secundum se probabilis est, nequeunt ambæ non esse simul, & in sensu composito probabiles, sicut ad inferendam conclusionem probabilem opus est: quemadmodum si Petrus secundum se in instanti A currat, & Paulus secundum se in eodem instanti A currat, non poterunt non simul, & in sensu composito currere.

69 Syllogismus autem ab aduersariis obiectus huic doctrinæ difficultatem non facessit: quamvis enim putent, se syllogismum nobis obicere, cæterum non tam syllogismum, quam paralogismum prorsus informem, omnisque modi expertem obiciunt: falsò ergo inferunt, consequentis improbabilis, interdum tamen in philosophia præmissas esse probabiles: quas enim ipsi proferunt, non solum non sunt præmissæ probabiles, sed ne præmissæ legitimæ sunt, hoc est syllogismum legitimum non constituunt: tum, quia nullus syllogismus categoricus constans tribus propositionibus negatiuis utilis, aut legitimus est, ut per omnes arguendi modos viles ab Aristotele traditos discurrenti clarebit: atqui syllogismus ab ipsis adductus categoricus est, & tribus propositionibus negatiuis coalefcit: tum etiam, quia quoties medium syllogismi eius conclusionem ingreditur, syllogismus inutilis & improprius est: sed medium syllogismi ab aduersariis adducti, nimirum, anima, conclusionem intrat.

70 Ea propter syllogismus ille aduersariorum, ut utilis, ac formalis sit, ita refingi debet: si existit anima, vel est distincta, vel indistincta à potentiis: at, nec distincta, nec indistincta: ergo nullo modo existit. Huius autem syllogismi hypothetici, altera præmissa, nempe minor improbabilis est. Non ergo mirum, quod improbabilitas illa in consequens redundet. Longè diuersa est ratio nostri syllogismi, qui quidem est in Darapti hoc pacto, omnis actus contritionis habet prædicata contradictoria, sed omnis actus contritionis est idem realiter, aliquid ergo realiter idem habet prædicata contradictoria, ac proinde virtualiter diuisibile est: quare syllogismus hic formalis est, aliunde verò alterutra eius præmissa, vel aduersariorum iudicio probabilis: quid ni ergo conclusio probabiliter inferatur? Ego quidem concessis præmissis, eam euidentem arbitror, quando quidem de eius probabilitate nobis litem intendunt.

71 Enimuerò quod posuimus supra, in materiis scholasticis, & ad metaphysicum rigorem exactis, haud posse vtramlibet præmissam secundum se, ac seorsim sumptam esse probabilem, quin sit probabile consequens, aduersariis visum est nimis arduum, & difficile; atque in illud sic fermè arguunt: Huius syllogismi, omnis actus contritionis est virtualiter idem, sed omnis actus contritionis subit

prædicata contradictoria; ergo aliquid virtualiter idem subit prædicata contradictoria, huius, inquam, syllogismi quævis præmissa secundum se, ac seorsim sumpta probabilitatem habet, ac verisimilitudinem, ut vero verius est: ac consequens est adeo improbabile, ut nihil supra; secundò sic: propositio complexa continens duas categoricas, siue simplices, esse potest improbabilis, etiam si simplicium, quibus constat, nulla non sit probabilis, ut videre est in hac complexa, anima nec distinguitur, nec identificatur suis potentiis, comparata ad has categoricas; anima non distinguitur à potentiis suis: anima non identificatur potentiis suis: similiter ergo conclusio continens quodammodo veritatem vtriusque præmissæ sine harum improbabilitate esse potest improbabilis.

72 Tertiò: huius syllogismi, in celarent, nullum opus à Deo prædeterminatum est liberum: at omne opus nostrum est à Deo prædeterminatum, ergo nullum opus nostrum est liberum, huius, inquam, syllogismi quævis præmissa est probabilis: decretis enim Pontificiis prohibemur alterutri notam improbabilitatis inurere post controuersiam de auxiliis diuinæ gratiæ inter Dominicanæ familiæ, ac nostræ societatis auctores: & tamen consequens adeo est probabilitate omni destitutum, ut sit, tum hæreticum, tum euidenter falsum, ac luminis rationis contrariū. Quartò tandem idipsum cernere est in hoc syllogismo, modi etiam celarent: nulla datur electio ad gloriam ut coronam ante præuisa merita, sed omnis prædestinatio est electio ad gloriam ut coronam ante præuisa merita, ergo nulla datur prædestinatio: quid enim hoc consequenti magis improbabile, cum tamen vtraque præmissa secundum se, ac seorsim ab alia sumpta sit probabilis? Huc faciunt illa Patris Suarez verba tom. 1. in 1. partem tract. 2. lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 17. num. 13. oportet aduertere, ne coniungantur aliquæ opiniones, ex quibus simul sumptis aliqua propositio rectè inferatur, quæ possit aures offendere, ut v. g. si quis dicat, solam electionem ad gloriam, seu voluntatem dandi gloriam esse prædestinationem, & deinde teneat, non dari præelectionem ad gloriam ante præuisa merita, necesse est, ut consequenter asserat dari causam prædestinationis ex parte hominis, quæ tamen propositio absolute dicta hodie aures offendit, & vitanda est.

73 Arbitror in primis, has omnes obiectiones ex nostræ doctrinæ falso procedere intellectu: quippe in illis sumuntur præmissæ syllogisticæ, non reduplicatiuè, & ut tales, sed specificatiuè, & seorsim à forma, & figura, cum tamen nos de eis loquamur longè alio sensu. Quocirca respondendum est, minorem cuiusvis syllogismi, ut minor est, efficere cum maiori sensum copulatiuum, sin minus formaliter, at certè æquiualentem, & impliciter: tum, quia ob id adhiberi solet ante minorem particula sed, aut sed &, aut sed etiam, aliæve similis copulatiuæ: tum etiam, quia, ut conclusio sequatur, ac sit concedenda, haud satis est, ut maior, vel minor sit vera, sed opus est, ut maior, & minor sint cum veritate coniunctæ: at maiorem, & minorem esse veram, seu, quod perinde est post maiorem, minorem etiam esse veram, est minorem in sensu copulatiuo maioris esse veram: eum ergo sensum minor ut talis quodammodo admittit, imò deposcit.

74 Hinc ergo est, ut, quoties ex propositionibus aliqui probabilibus sequitur in materiis scholasticis consequens improbabile, oporteat, minorem, saltem prout talem, ac secundum se, & seorsim sumptam improbabilem esse, videlicet, quia eo pacto cum maiori sensum facit copulatiuum in æquiuolenti: Itaque in primo syllogismo nobis obiecto, minor illa, scilicet,

cet, *actus contritionis subit predicata contradictoria*, ut minor est, non id tantum affirmat, sed virtute saltem aliquid ulterius, nimirum actum contritionis suscipere predicata contradictoria, & esse eundem virtualiter, quod non minus improbable est, quam quidpiam idem virtualiter suscipere predicata contradictoria, ut refertur in consequenti. Præterea in secundo syllogismo nobis opposito, minor illa, *at omne opus nostrum est à Deo prædeterminatum*, tamenli extra eum syllogismum posita, & vel in alio, cuius consequens sit haud adeo absurdum, vel in nullo constituta sit probabilis, tamen ut eius syllogismi minor est, censeri debet improbabilis, propterea, quod secundum se sumpta, ac prout minor, efficiat sensum copulativum cum maiori, & idem valeat ac, omne opus nostrum est à Deo prædeterminatum, & nullo, quod prædeterminatur ab ipso, potest esse liberum. Par denique ratio est minoris eius, qua nititur tertius syllogismus aduersus nos adductus: Quid autem dicendum sit ad paritatem complexæ improbabilis, ex probabilibus tamen categoricis coallescentem, infra clarebit.

75 Dices tamen primò contra hanc solutionem, illam particulam *seorsim*, ac secundum se opponi copulatioi sensui: quod ergo asseruimus minorem, quatenus minor est, & copulat obiectum suum cum obiecto maioris secundum se, ac seorsim sumptam non posse non esse improbabilem, ubi ex ea, & maiori infertur consequens improbabile, haud aliud est, quam terminos contradictorios miscere inuicem, adeoque est planè falsum, & commentitium. Respondeo negato antecedenti: Siquidem ex. c. quævis pars compositi secundum se, ac seorsim sumpta est compositi causa: at non est causa illius prout diuisa ab altera comparte, ut certo certius ergo prout cum ea copulata: particula ergo, *seorsim* ac secundum se haudquaquam opponitur sensui copulatioi. Deinde, quid frequentius dici solet, quam huius copulationis intentionalis, Petrus currit, & Paulus currit quamuis partem secundum se, ac seorsim sumptam esse veram, si non Petrus solus, solusue Paulus, sed ambo currant? quæ ergo obicitur terminorum implicatio, ac repugnantia in præsentiarum, ea nulla est.

76 Dices secundo, etiam in materiis moralibus, & ad conscientie directionem spectantibus minorem, ut minor est, efficere saltem virtualiter sensum copulativum cum maiori: minor ergo in eis ut minor est, & secundum se, ac seorsim sumpta, debet esse improbabilis, quoties ex illa, & propositione maiori sequitur quidpiam improbabile, & proculdubio absurdum: nullum igitur est discrimen inter has materias, & alias scholasticas, sed id ambabus commune est, ut in illis consequens improbabile supponere debeat præmissam aliquam improbabilem eo sensu, qui manet explicatus. Respondeo, in materiis moralibus, quoties consequens est improbabile, præmissarum aliquam, & vel maiorem, vel certè minorem ut talem esse oportere improbabilem, tum intrinsecè, ut ex dictis claret, tum extrinsecè & spectata autoritate Doctorum: ut enim nulli, aut pauci sunt, qui assentiantur consequenti per se, ac manifestè absurdo, ita nulli, paucine esse possunt, qui utrique præmissæ, ut talibus assensum præbeant. Cæterum hoc non obstat præmissæ in huiusmodi materiis conclusionem inferentes improbabilem dici possunt aliquando probabiles absolute; videlicet, quia in illis magis attenditur ad autoritatem Doctorum, & ad id, quod de quavis propositione extra formam syllogisticam sentiunt, quam ad dispositionem præmissarum, artificiumque maioris, aut minoris; haud raro

autem contingit, eos utramque propositionem extra syllogismum sentire probabilem, ut consequens sit omnino improbabile. Alia verò facultates, ac scientiæ discursu magis, quam auctoritate extrinseca nituntur: in eis ergo nisi præmissæ, ut tales, sint probabiles, haud poterunt esse, diciue absolute probabiles: at in eis ambæ præmissæ ut tales, nequeunt esse probabiles, si sit improbabile consequens, ergo ex hac suppositione nec absolute probabiles: ubi ergo in illis è conuerso præmissæ ambæ sint absolute probabiles, nequit esse improbabile consequens, alias esset, & non esset improbabile: esset quidem, ut supponitur: non esset, quia aliqui argueret, præcessisse aliquam præmissam ut talem absolute improbabilem: tenet ergo id discriminis à nobis constitutum inter materias morales, & scholasticas.

77 Dices tertio: si præmissæ sensum efficerent quodammodo copulativum, pro eo, ac statuimus supra, non posset una esse vera, & alia falsa: siquidem propositio copulatiua, ut docuimus in Dialectic. lib. 10. tractat. 2. capite sexto, tota neganda est, vel concedenda, nec potest esse partim vera, partim falsa: at præmissarum altera admissa, solet altera reiici, vnaque esse veritati, & alia falsitati obnoxia: ergo, &c. Respondeo à nobis eo nequaquam sensu asserti præmissas facere sensum copulativum, saltem virtualiter, quasi ambæ sint virtute vna propositio copulatiua, sed, quod minor, supposita maiori omnino categorica, vim, ac pondus copulatiuæ, quin formaliter copulet, obtineat: atqui haud nouum, vel infrequens est, concessa tanquam verà quadam categoricâ, negari postea complexam, in qua simul cum opposita continetur; quo pacto, ut aliis superfedeam exemplis, si Petrus currat, & non Paulus, hæc propositio, *Petrus currit*, vera est, & ut talis admittenda; & tamen hæc complexa, *Petrus currit, & Paulus currit*, falsa est, ut quæ maxime, ac planè reiicienda.

78 Dices quartò, etiam aduersarios non grauatiuros concedere huius syllogismi à nobis obiecti, *actus contritionis est idem realiter, sed habet predicata contradictoria*, &c. Minorem, ut minor est, & in sensu copulatioi superius tradito sumptam, esse improbabilem. Verum, si ita se res habet, quorsum eam absolute non negant. Quorsum concessa maiori, ad eandem iterum redeunt, respondentque, sequentem propositionem esse negandam, si maior sit concedenda, sin autem hæc negari debeat, illam oportere concedi? Hanc responsionem, ubi tanquam futilem abiciant, nihil certè cum eis controuersia nobis reliquum erit. Et quidem eo respondendi genere nusquam inter scholasticos, quos viderim vitato ob id vitantur tamen, ut aditum nobis præcludant, huius minoris, *sed actus contritionis habet predicata contradictoria*, absolute probandæ: Sed nihil minus, quam hoc consequuntur. Etenim negant, illam minorem, si eius maior sit vera: at illius maior tanquam vera ab eis est concessa: aut ergo conditionatum, purificata, ut aiunt, conditione, non transit in absolutum, aut reuera nostram minorem absolute negant, ac proinde, vel inuisi compelluntur de eius veritate nobiscum certare. Quorsum ergo congressum fugiunt, ac tota vagantur arena?

Aliter etiam ostendo, aduersarios esse reprehensione dignos, quòd nostram sententiam secus, ac est à nobis tradita, acceperint, nuperque dictis lucem, & confirmationem adicio. Quod inficiamus, ubi res ad scholasticum rigorem exiguntur, haudquaquam sequi posse consequens improbabile

probabile ex præmissis absolute probabilibus, id intelligi debuit, si earum probabilitas reducat ad actum, & ambæ à disputante probentur, atque à respondente concedantur ut veræ: idcirco punctum, de quo est in præsentiarum controuersia, clausimus in hæc verba: *Ego quidem concessis præmissis, &c.* Idcirco etiam ad initium eiusdem puncti retulimus aduersarios in ea esse opinione, ut existimarent ad probabilitatem huius consequentis, *ergo idem virtualiter habet prædicata contradictoria*, haud satis esse, ut hæc præmissa, *actus contritionis est idem realiter, sed actus contritionis habet prædicata contradictoria*, probarentur à nobis absolute. Porro, hoc sensu à nobis factis, superque declarato, euident est haud posse consequens esse impossibile, si infertur ex præmissis probabilibus: namque quando præmissa ita probabilitatem habent, & non solum sunt verisimiles ambæ, sed actus vera & vltro, citroque probata, atque concessa, necessum est, ut conclusio sit vera, omnis autem propositio vera ad minimum est probabilis: talis ergo esse debet conclusio, cuius ambæ præmissæ secundum se sunt probabiles ea ratione, quam explicuimus. Quod ergo tueantur aduersarii, consequens hoc, *ergo idem realiter habet prædicata contradictoria*, esse impossibile, necesse est, ut has præmissas, *omnis actus contritionis est idem realiter, sed omnis habet prædicata contradictoria*, non concedant, sed potius absolute negent earum aliquam: quod igitur potissime, imò solum in præsentia contendimus, ruit eorum solutio illa, qua concessa ea maiori, *omnis actus contritionis est idem realiter, hanc minorem, sed omnis habet prædicata contradictoria*, non negant absolute, sed potius aiunt esse falsam, si maior sit vera, & veram, si maior sit falsitati obnoxia: ubi meritò eius particula *si maior sit falsa*, aut quod perinde est, *si actus contritionis non sit realiter idem*, veritatem maioris semel concessam postea in dubium leuissimè, ac parum coherenter reuocant, & quandam veluti Penelopes telam texunt, atque retexunt.

79 Alia est conditio eorum syllogismorum qui nobis obiciuntur: nam propositis mihi his præmissis: *omnis actus contritionis est virtualiter idem, sed omnis habet prædicata contradictoria*; aut his, nullum opus à Deo prædeterminatum est liberum, sed omne opus nostrum est à Deo prædeterminatum; aut his, nulla datur electio ad gloriam ut coronam ante præiusta merita, sed omnis prædestinatio est electio ad gloriam ut coronam ante præiusta merita, aliquam earum absolute negabo, idque mecum ager omnis Catholicus, & etiam bonus Philosophus: quorsum ergo reneat admittere tanquam probabile hoc consequens, ergo idem virtualiter habet prædicata contradictoria, aut hoc, ergo nullum opus nostrum est liberum, aut denique hoc, ergo nulla datur prædestinatio?

80 Quod si sermo sit de materiis moralibus, fateor eas etiam ita comparari, ut quicunque in illis præmissas absolute probabiles concedit, non possit negare, quin consequens sit probabile, intrinsecè quidem, & ex natura sui obiecti: at non est necesse, ut admittat illud esse probabile extrinsecè, & ab auctoritate Doctorum, propterea, quod nulli eorum, vel pauci assentiantur consequenti, cum tamen plures vni præmissæ, & plures alteri assensum præbeant. Porro huius probabilitatis extrinsecæ habetur præcipue ratio in materiis ad mores, & conscientiam spectantibus, cum in aliis magis respiciatur ad intrinsecam, ut superius monitum: absolute ergo dicendum est, in illis sequi semper ex præmissis probabilibus, si concedantur, probabile con-

sequens, & ex his non sequi. Vide nostrum Ioannem Cardinalem de Lugo de Eucharist. disput. 19. sect. 12. num. 259.

Arbitror secundò, nostram doctrinam, ne prout ab aduersariis intellectam, ac sinistrè interpretatam quatuor obiectionibus suprapositis bene confutari. Ad primam dici potest, has propositiones, omnis actus contritionis est virtualiter idem, sed omnis actus contritionis subit prædicata contradictoria, esse præmissas solis vocibus tenus, non autem in intellectu, & reuera: eæ liquidem propositiones sunt veræ, & intellectualiter præmissæ, quæ simul sunt in eodem intellectu, eumque vnà mouent ad assensum conclusionis: tales autem non sunt supradictæ prædicationes: prior liquidem affirmat, contritionem esse eundem virtualiter actum, siue quod formalissimè, & ratione nostra est idem, non habere prædicata contradictoria; posterior verò eam habere prædicata contradictoria. At actus adstruens contritionem non habere prædicata contradictoria, & actus adstruens eam illa habere explicitè contradicunt inuicem, nec possunt esse simul in eodem intellectu: eo ergo vitio peccat prima illa obiectio, quod pro præmissis nobis obrudat propositiones nihil fortientes præmissarum, nisi solam nomenclaturam.

Ad secundam obiectionem dicendum est; perinde esse formaliter, ac ratione nostra animam non identificari potentiis, ac ab illis distingui: quocirca propositio illa realis complexa anima, nec distinguitur, nec identificatur suis potentiis opponitur explicitè alicui simplicium, ex quibus constat, huic scilicet, anima non distinguitur à potentiis suis, & quidpiam ei contrarium explicita ratione adstruit, nimirum, quod anima non sit identificata potentiis suis, siue quod ab eis sit distincta: propositionum autem directè, & explicitè oppositarum optimè potest vna esse improbabilis, & altera probabilis: quid mirum ergo, si eius complexæ, anima, nec distinguitur, nec identificatur potentiis suis, improabilitas coherere possit cum probabilitate simplicium ei ex parte saltem oppositarum, ut manet explicatum. At nulla ex præmissis directè, & explicitè opponitur conclusioni, aliàs eam non inferret, sed potius ab eodem expelleret intellectu: nihil ergo est, quapropter præmissæ possint esse probabiles, si sit impossibile consequens: hæc ergo ex hypothesi nequeunt simul esse probabiles, aut si tales sunt, suam certè probabilitatem in consequens necessariò refundent.

Ad tertiam obiectionem dici potest, earum præmissarum; nullum opus à Deo prædeterminatum est liberum: at omne opus nostrum est à Deo prædeterminatum; quarum altera est Dominicanorum & altera nostræ Societatis, quamuis neutra non sit probabilis ab auctoritate extrinsecæ Doctorum, aliquam tamen esse fortassis improbabilem intrinsecè, & spectatis illarum naturis, & respectibus ad obiecta sua. Hoc enim asserens quo quæso ex titulo Pontificis contravenio decretis? nullo certè quem assequar. Pontifices certè id tantum præcipiunt, ne quis earum propositionum alicui destinatè sumptæ exteriori improbabilitatis notam inurat: at ego tantum interius sentio, earum aliquam esse improbabilem (si fortè id sentio) & aliquam non destinatè, sed potius vagè & indeterminatè usurpata. Pontifices solum prohibent, ne quis affirmare ausit, illarum propositionum aliquam non esse simpliciter, & absolute probabilem: at ego nihil tale affirmo: liquidem ut propositio dicatur probabilis absolute, & simpliciter, sufficit ut aliquo ex capite, & spectata auctoritate Doctorum sit probabilis, quamuis ex alio capite non

fit probabilis, adeoque secundum quid improbabilis: hanc autem improbabilitatem secundum quid in aliqua earum prædicationum ita adstruo, ut probabilitatem ex auctorum consensu profectam utriusque concedam, quod satis est ad hoc, ut alterutra sit absoluta, ac vera ratione probabilis, ut dictum est: haud secus atque ut homo sit simpliciter & absolute calidus, satis est ut sit calidus ut quatuor, quamvis calorem ut octo non obtineat. Ad quartam objectionem contrariam dicendum est idipsum, servata proportionem, quod ad tertiam nuper dilutum.

84 Tertio loco aduersarios nostros interrogo, quod sine lite hanc de improbabilitate conclusionis, cuius præmissæ ambæ sunt secundum se probabiles, nobiscum contestentur? An id contendunt, nostram conclusionem, scilicet, *ergo aliquid realiter idem habet prædicata contradictoria, sicut ad distinctionem virtualem oportet*, esse improbabilem, quamvis alterutra eius præmissa sit probabilis? an solum, eam non esse adeo probabilem, ac eius præmissas? an denique, esto sit non minus probabilis, quam eius præmissæ, quod tamen ita sit probabilis, haud inde ei obuenire, quia quævis eius præmissa est secundum se cum probabilitate coniuncta? si secundum, & tertium contendunt, abs re planè disputant: ubi enim nobis concedetur, conclusionem nostram esse absolute probabilem, ac veram, parum curabimus, quem probabilitatis gradum obtineat, aut quibus ex causis eius oriatur probabilitas. Sin autem primum sibi propositum habent, haud magis aptè eos disputare censeo: siquidem medio utuntur vago, & non distributo, eorumque discursus in summam redactus talis est; aliquæ præmissæ secundum se probabiles inferunt conclusionem improbabilem: at hæc propositiones, *omnis actus contritionis quatenus amor, & odium habet prædicata contradictoria, sed omnis actus contritionis est idem realiter*, sunt aliquæ præmissæ: conclusionem ergo improbabilem inferent, scilicet hanc *ergo aliquid realiter idem habet prædicata contradictoria, sicut ad distinctionem virtualem oportet*, quo argumentandi genere quid ineptius? quid huic similis, *aliquid animal est rationale, sed caballus est aliquid animal, ergo caballus est rationalis*. Præterea an non ridiculum sit, conclusionem tot rationibus, sin minus euidenter veris, ac certè verisimilibus, à nobis probatam, ac tot, tamque grauium auctorum præsidio munitam, improbabilitatis damnare: an non pati, imo potiori iure possemus similem contrariæ sententiæ dicam impingere?

85 Porro alij, ne confutata hætenus solutionis auctoribus alienissimo tempore desint, in eorum gratiam obiciunt, nos etiam in præsentiarum aduersus syllogisticæ artis præcepta manifestè peccare, atque id vitij incurrere, quod in aliis supra reprehendebamus. Etenim, inquiunt, ut in hoc syllogismo tantopere improbo *nulla anima suis potentiis identificata existit, sed neque existit anima à suis potentiis distincta; ergo nulla anima existit*, anima adeoque medium ingreditur conclusionem; ita similiter in eo, quem nos eius loco instaurauimus, scilicet, *si existit anima, vel est distincta, vel indistincta à potentiis, at nec distincta, nec indistincta, ergo nullo modo existit*, anima, ac proinde medium rationem habet subiecti in assensu conclusionis, eumque intrat; sed vicem, pro eo ac putant, nobis haud rependunt: siquidem syllogismus aduersariorum, cum sit absolutus, & de inesse, non verò hypotheticus, constare debet aliquo medio, ut certo certius: eiusmodi autem medium, quod esse poreit, quam anima? haud enim esse potest terminus

ille, *identificata potentiis suis*; haud etiam ille, *distincta à potentiis suis*, cum neuter in præmissis repetatur. Quod si dicatur, medium esse terminum illum, *non existit*, quippe qui in præmissis geminatur, eodem res redit, & difficultas neotiquam tollitur: namque etiam particula, *non existit*, conclusionem, de qua est sermo, ingreditur. Atqui syllogismus à nobis propositus est hypotheticus, atque adeo is, in quo medium querere, sit ineptissimum: nihil enim in Dialectica facultate certius, nihil ea vel leuiter imbutis exploratius, quam syllogismum hypotheticum non constare medio, nec inniti principio illi, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se: qui ergo fieri potest, ut syllogismi nostri medium, quod in eo nullum est, eius tamen conclusionem intrat, nec suos intra fines se cohibeat? Rursus fac syllogismum hypotheticum à nobis denuo factum medio haud vacare, certè illud haud erit, *anima*, haud etiam terminus *non existit*; sed potius distinctio, indistinctioque, quæ in vna præmissa conditionate affirmantur, & in alia absolute negantur, assensum verò conclusionis haud ingrediuntur, nec in ea locum subiecti, aut prædicati obtinent. Sed de his satis.

Quintò respondent aliqui, amorem contritionis non amare peccatum, quia ad illud terminatur per modum recessus, non verò per modum accessus; contra verò odium contritionis non odisse Deum, quia ad illum terminatur quidem, at non per modum recessus, sed per modum accessus: proinde amoris, & odio haud conuenire prædicata contradictoria; quilibet enim earum formalitatum ad Deum, & qualibet ad peccatum, & alterutra eodem modo, quo altera terminatur: nihilominus utramque diuersas denominationes, easque impermixtas, & inconfusas tribuere, eo, quod aliter, aliterque referantur ad Deum, atque peccatum, veluti dictum est: hanc autem rationem in cognitione, & repræsentatione locum non habere.

87 Hæc solutio non rerum nucleos, sed meras voces nobis offert: quid enim est recessus, quam odium, aut accessus, quam amor? amorem ergo terminari ad peccatum, ut recessus, ac eum verò ut accessus est, perinde valet, ac eum terminari ad peccatum ut odium, non verò ut amor est, & consequenter amoris, & odio conuenire prædicata contradictoria: difficultas ergo non tollitur, sed aliis innouit nominibus, quasi verò eorum præsidio, tuta esse posset absentibus rebus. Rursus secundò in ipso accessu, & recessu argumentor: amor enim, ut est accessus, siue per modum accessus, non terminatur ad peccatum, idemque amor ut recessus ad illud terminatur: accessui ergo, & recessui conueniunt prædicata contradictoria, adeoque virtualiter distinguuntur. Præterea tertio: sicuti amor quantumlibet indinatus virtualiter ab odio, terminatur tamen aliquo modo peculiari ad peccatum, ratione cuius illud non amatum denominat, sed odio habitum; cur etiam repræsentatio quantumlibet indistincta virtualiter à cognitione, tamen terminari nequeat ad obiectum tali modo, ut illud repræsentatum denominet, & non cognitum?

CAPVT VII.

Aliæ superioris argumenti instantiæ, & solutiones reiectæ.

88 Præter communes Neotericorum instantias, & solutiones hætenus confutatas, sunt aliæ, quas hic